

DECANUS ET COLLEGIUM FA-
CULTATIS THEOLOGIÆ, IN ACADEMIA
ROSTOCHIANA, Lectori S. in DOMINO.

Duae sunt docendi viæ in omnibus doctrinis & artibus usitatæ: Una *εἰσαγωγὴ*, qua summæ artium certa ratione & methodo in compendium contractæ, seu loci cuiusq; doctrinæ præcipui ordine expositi, & definitionibus eruditis illustrati, discentibus memoriæ insigendi proponuntur: Uc initia, progressiones, & fines singularum artium cernunt, & cum aliquò usq; progressi sunt, sciant ubi versentur, quo pervenerint, & quantum ad metam seu finem artis reliquum sit, & quo scunq; postea autores, scripta vel disputationes illius doctrinæ legent: semper ad illas artium summas & locos convenientes referant. Altera plenior & subtilior, copiosè & integrè singulas eiusq; artis partes explicans & evolvens, & accuratius & perfectius declarans & exponens.

Prodest autem in omnibus doctrinis ac præcipue in pietatis Christianæ & æternæ salutis arte artium omnium regina, initiò rudioribus brevem summam & Indicem præcipuarum rerum eruditis definitionibus & partitionibus explicatam inculcati, ut corpus doctrinæ Christianæ integrum complectens omnia membra rectè inter se coagmentata informent, ad quod omnes sacræ scripturæ partes, omnes Ecclesiasticas conciones, scripta, enarrationes, certamina & disputationes dextrè referre possint.

Hoc consilio semper in Ecclesia propositæ sunt Catecheses seu summæ doctrinæ Theologiæ, quas alii institutiones, alii compendia Theologiæ, alii Margaritas Theologicas, alii examina (quod græcæ voci *κατηχήσεως* aptissimè respondet) alii locos Theologicos, alii summas, alii sententias, alii Enchiridia, alii *ἄρχας* seu principia, alii aliter appellantur: cum idem omnibus scopus & idem argumentum sit. Paulus. 2. Tim. 1. *Κατηπάτωσιν* nominat, cum iubet *Κατηπάτωσιν ἔχειν υγιενόντων λόγιαν*, certam formam seu methodum & summam sanæ doctrinæ ab Apostolis acceptæ de Fide & dilectione in Christo Iesu retinere, & depositi instat à Spiritu sancto nobis concretiti fideliter custodite. Hinc Clemens Alexandrinæ Ecclesiæ Catecheta *Κατηπάτωσεων* libros nuncupavit, teste Eusebio lib. 6. cap. II. Talem *Κατηπάτωσιν* seu formam & methodum Theologiæ Paulus ipse ut artifex in Epistola ad Romanos instituit, & postea Apostoli & Synodi brevibus Symbolis doctrinæ Christianæ summam complexi sunt, in quæ locos ad veram Dei agnitionem & pietatem alendam maximè utilles, tanquam in una tabula simul propositos intueri & comprehendere, & memorisse etiam rudiores possent. His expositiones à Cypriano, Ruffino, Augustino de fide & Symbolo, & aliis additæ, & copiosiores summæ doctrinæ velut

(a) 2

Cate-